

96, 180

SOLEMNIA
GERSDORFIANA cum GEHLERIANIS

conjuncta

die XV. Novembris MDCCCLIV.

hora IX. antemeridiana



A GYMNASIO GORLICENSI IN CURIA HABENDA

indicit

CAROLUS GODOFREDUS WIEDEMANN,

PHILOS. DOCTOR ET ARTIUM LIBERAL. MAGISTER, PRÆCEPTOR SUP. ORD. IN GYMNASIO
GORLIC., SOCIET. LUSATIAE SUP. LIT. SODALIS.

Praemissa est quaestionis de Patavinitate Liviana Partic. II.

GORLICH,

TYPIS KOEHLERIANIS.

480
4 (1854)

Postquam quaestionem de Patavinitate Liviana ante sexennium eo perduximus, ut appareret, eam graecae linguae imitatione largiore, quam quae urbanis auribus placeret, contineri: nunc de reliqua libertate orationis Livianae, quae *provincialismorum* nomine vulgo appellari solet, breviter exponamus. Hanc etiam insolentiam latinarum formarum et vocum Titum Livium Patavio, patriae suae, acceptam referre contendimus. Quam enim libertatem poetae sibi indulgebant, ut obsoleta verba et ruri abdita et inventa versibus suis illustrarent, eam Livius quoque in Annalibus suis sibi vindicavit. Qua arte peculiarem orationem, ditiores copiosioreque urbana, sibi composuit. Casu autem evenit, ut W. Weissenborn, V. D., qui novam Livii editionem nuper inchoavit Lipsiae, de natura linguae Livianae nobiscum consentiret in praefatione sua p. 41. „So finden wir bei ihm nicht nur viele poetische Ausdrücke und eine grosse Annäherung an die Dichtersprache seiner Zeit, besonders des Virgilius, sondern auch eine Erweiterung des für die Schriftsprache verwendeten Wortvorrathes theils durch die Wiedereinführung einzelner Ausdrücke, welche ihm die Quellen darboten, theils durch die Aufnahme mancher Wörter aus der Umgangssprache und dem Griechischen.“

Haec igitur nominata insolentia cernitur in *verbis, constructionibus, declinationibus*. De quibus nunc deinceps sic dicetur, ut enumeremus quasdam raras, ut nobis saltem visae sunt, voces, in quibus Livius cum iis hominibus, qui in confiniis Patavinorum nati sunt, mire conspiraverit (coll. de Patavin. P. I, p. 7.), tum, quum popularium testimonio fides creverit, adjungamus ea verba, quorum insolentia nullius praeterquam Livii auctoritate defensa, a Patavinis ipsis muniri videatur.

Primum autem de *insolentia verborum* videbimus, cujus ratio quadruplex est: nova enim pronuntiatione, significatione, terminatione, compositione continetur.

Pronuntiationis insolentiae vero respondet scriptura, siquidem veteres perinde scribebant ac loquebantur. Quis igitur neget, etiam nunc sonare aut olere peregrinum eas voces, in quibus vel unius literae mutatio admissa sit, si sequimur Ciceronem, urbanitatis principem de Orat. III, 42, 44. 46: cui Cotta, amicus, si Jota literam tolleret, et E plenissimum diceret, non oratores antiquos, sed messorum videbatur imitari. Insolenter vero innumeris locis scriptum exhibent codices Liviani: *detractare*, *detractor* sive *detractator*, *retractare*, *attractare* pro „detractare“, reliq., velut III, 60. „ubi illi detractavere pugnam, crevit Romanis animus“, et XXXIV, 45, 9. „Cato ipse, haud sane detractor (s. detractator) laudum suarum, multos caesos ait“. Ac peregrinus sonus tantum abest ut a Caesare B. G. VII, 44. et a Virgilio Aen. II, 749., quibus nonnulla scripta vindicant A literam, infirmetur, ut ab iis confirmetur. Cf. Drakenborch. ad Liv. XXXIV, 45, 9. Variatio vocalis etiam est in *decuplo*, XXXIX, 44. „uti ea quoque decuplo tanto pluris, quam quanti essent, aestimarentur“, ex recens. Ascens., cui Cornelius Nepos assentitur Milt. 5. „ut decuplicem numerum hostium profligarent“, ex edit. Aldi et Lamb. His adjungo *dispartiri* apud Livium III, 40, 9. „consules belli administrationem inter se dispartiri jussi“, et *impartiri* XXXVIII, 36, 8. „populi esse jus, suffragium, quibus velit, impartiri“, et „legum *expartem* III, 57, 1., quas formas omnes non improbat Drakenborch. ad I. I. Ciceroni abjudicantur ab Orello de Legib. II, 49. et in Verr. II, 21. Illud etiam verisimile est, Livium *maxunum*, *optunum*, *intunum*, *amplissimum* scripsisse, si fidem habemus optimis codicibus, in quibus sic scriptum est, coll. Quintilian. Instit. I, 7. et Drakenborch. ad Liv. III, 47, 5. Sed ultra inquirere in hanc antiquitatem vetatur sedula politorum hominum incuria, quibus, quidquid ab usu communi recessisset, delendum esse visum est. Quare insolentia scribendi relicta, urbana verba, quorum significatio a Cicerone abhorreat, petamus.

Admodum pauca exempla sunt, in quibus notio rerum, sive vis, quae verbis subjecta est, paullulum a Livio mutata sit, plura, in quibus rerum praedicata, plurima in quibus particulae a Cicerone differant. Omnes autem notiones vocum variant ex legibus humanis in cogitando et imaginando: quare quum homines ejusdem terrae similiter plerumque cogitent et sen-

tiant, non mirum erit, Livium in hac quoque mutatione notionis cum reliquis Gallis fere semper consentire. *Globus* apud Ciceronem est forma solidorum corporum (Kugel) de Nat. Deor. II, 18., a cuius similitudine apud Livium I, 9, 12. „unam a globo Talassii cujusdam raptam ferunt“ et II, 29, 2. „quum staret tacitus, et circa eum aliquot hominum, ne forte violaretur, constitisset globus“, sic dicitur caterva, factio, comitatus, cui adsentitur Nepos Attic. 8. „consensionis globus disiectus est“. Ex similitudine *caput* non solum ponitur pro initio fluminis apud Livium, i. e. pro fonte, veluti I, 54, 9. „dejectus ad caput aquae Ferentinae“ et Virgil. Aen. XII, 816., sed etiam pro ostio ap. Livium XXXIII, 44. „inde profectum eum ad capita, quae vocant, Sari fluminis, tempestas prope demersit“ et ap. Virgil. Georgic. IV, 349. et ap. Caesar. B. G. IV, 40. extr. „multisque capitibus in Oceanum influit Rhenus“. Quia *excedere* est fines superare, transferri potest ad cogitatam rem, abs qua, tanquam a loco proposito, aberramus, digredimur, deflectimus, quibus quidem verbis Cicero in ejusmodi re utitur. Livius vero XXIX, 29. „operae pretium videtur“, inquit, „excedere paullulum ad enarrandum, quam varia fortuna usus sit“, eumque sequitur Plinius Epist. V, 6, 44. „verum illuc (revertar), unde coepi, ne jure reprehendar, si longior fuero in hoc, in quod excessi“. Ab accessu et recessu maris identidem facto (coll. Cic. de Nat. Deor. III, 40, 24.) ortum est Livianum *reciprocare animam* XXI, 58, 4. „dein quam jam (ventus) spiritum includeret nec reciprocare animam sineret“, quod spiritum ducere sive respirare significat. Cf. Schoemann ad Cic. de N. D. III, 40, 24. Partem tantum hujus iterati motus, recessum maris, considerat Livius XXVIII, 30. med. „quinq̄ueremem credens in adversum aestum reciprocari non posse“, i. e. reverti, et Plinius N. H. IV, 43, 27. „quoniam aestus semper e Ponto profluens nunquam reciprocetur“, i. e. redeat in Pontum. Sunt etiam verba, quae generatim a Cicerone, a Livio specialiter accipiantur. *Vadere* non ubique ire (wandern) est simpliciter, sed nonnunquam vehementer ire ap. Liv. II, 15, 5. „vadit inde in primum aditum pontis“ „er geht mit gewaltigem Schritte“ (Weissenb. ad h. l.) et VII, 24. med. „et vadendum in hostem“. Similiter loquitur Virgil. Aen. IV, 223. Vade age, nate, voca Zephyros, et labere pennis“. *Evadere* praeter elabendi e manibus vim, qua apud Ciceronem nobis occurrit Catil. II, 4., quam etiam de Nat. D. II, 37, 95. „ex abditis sedibus evadere in haec loca atque exire“ sibi reservare videtur, apud Livium significat altum locum petere, adscendere in clivum, II, 17. „quum jam in eo esset, ut in murum

evaderet miles“, II, 50, 40, 65, 3. XXVI, 45, 3. XXVII, 18, 45. XXIX, 27, 45., eademque sententia ei subjecta est ap. Virgil. Aen. II, 458. „evado ad summi fastigia culminis“. Caussae et effectus cohaerentiam deprehendimus in his: *titulus* ab inscriptionis et nominis significatione defluxit ad eam, quae inde efficitur, splendoris et amplitudinis, quam invenimus ap. Liv. VII, 4. extr. „Par (Camillus) deinde per quinque et viginti annos titulo tantae gloriae fuit“, cf. Kreizner. de propria orationis Livianae indole etc. Progr. 1845. p. 12.: *decus* et *decora*, quae alibi ornamenta significant, pro gloriose factis, unde ornamenta comparentur, saepe in ore habet Livius II, 23., III, 41. „ad munera, data a diis, et ipse addiderat multa belli decora“, XXXVIII, 58. post init., II, 13., quare I, 39. „materiem ingentis publice privatimque decoris“ ingenium esse interpretor, conformandum ad gloriose facta domi militiaeque. Oppositioni diserte significandae inservit Livianum: *nec quisquam unus*, quod II, 9. opponitur „universo senatui“, III, 45. et 55. extr. „multis“, XXVIII, 38. „omnibus“, XXXII, 20. „concioni tantae“. Ex vulgari notionum confusione formulam Livianam *in sortem conjicere* ortam dixerim XXX, 4. „tum praetorum provinciae i. s. coniectae“, quum secundum legem, quae laudatur ap. Ciceronem Verr. II, 51. formula liquida sit: „in hydriam sortes conjiuntur“. Alibi Livius „sitellam“ XXV, 3. hydriam Ciceronis appellat, et pro conjicere cum „dejicere“ XXI, 42., tum „ponere“ XLI, 18. usurpat. Sic sensim pervenimus ad praedicatorum insolentiam. Ex hac autem discrepantia notionum id jam colligo, Livium patriam linguae naturam modice nec sine ratione in scribendo retinuisse.

Eandem regulam servavit in rerum praedicatis. Incipio a „levibus *proeliis* cum Gallis *actis*“, pro „gestis“, quae leguntur ap. Liv. XXII, 9, 6. coll. Epitome XLIX. et X, 31. Ea non sunt urbana. Nam unicus locus in Cicerone pro Balbo 20. „si tanta bella egisset, quanta gessit et confecit“ nunc purgatus sic est: „si t. b. legisset“. At Nepos audacter scribit Hann. 8. „si tam in agendo bello parere voluisset consiliis“, nec non Caesar B. G. III, 28. „ac reliqui Galli bellum agere instituerant“. Cf. Herzog ad h. l. Livius Epit. I. „fulmine *absumptum*“ appellavit, quem urbani (Cic. de Div. II, 20.) et Livius ipse alibi (I, 31.) „fulmine ictum“, sive „percutsum“ (Cic. de N. D. III, 35, 84.) dixerunt. „*Projectum* consulare imperium“ ap. Liv. II, 27. med. est pro „abstracto“, i. e. ludibrio dato, ap. Ciceron. Catilin. IV, 40, 20. „*Peremptum* corpus pallore ac macie“ i. e. semimortuum, tantum non interfectum ap. Liv. II, 23. init., pro „enecto“ ap. Ciceron. de Divin. II, 35. init.

et Tusc. D. I, 5, 40. reperitur, praeter „enectos fame, frigore, illuvie, squa-
lore“, quos Livius etiam commemorat XXI, 40., coll. Kreizner. l. l. p. 34.
Livius, qui alibi XXI, 32. „omnia praerupta“, ibid. 33. „deruptas angustias“,
ibid. 36. „locum abruptum“ habet, tamen „*abscisum saxum*“ XXXII, 4. extr.
et „*rupes abscisas*“ XLIV, 5, 5. edit. Drakenb., graeca ὄρη ἀπότομα (Xenoph.
Anab. IV, 1, 2. 7, 2.) imitatus, introduxit et explicat synonymo suo XXV,
36. „nihil arduo, nihil absciso“ conjunctis. Cicero vero „praerupta saxa“
Verr. V, 56. appellavit. Aliae quidem editiones Livii XLIV, 5, 5. „abscissae“,
quasi ab abscindendo ductum sit vocabulum, praeferunt. Est autem „abscin-
dere“, unde abscisum ducitur, veluti „caput abscisum“ IV, 49., magis Livio
conveniens, quam „abscindere“, quo non nisi translate, veluti „spem ab-
scindere“ XXXV, 45, 6. usus est. Cf. Drakenborch. ad Liv. XLIV, 5, 5.
Quum diceretur a Nepote Them. 40, 5. et a Cicerone de Harusp. Resp.
40, 20. „fama est“, a Vellejo II, 93. „fama loquitur“, Livius „fama tenet“
I, 4., coll. Weissenb. ad h. l., „fama obtinuit“ XXI, 46. extr. dixit. Nobil-
lissimus autem praedicatorum varietate „dolos“ est. Nepos dicit „dolo
pugnare“ Hann. 10., Sallustius „alicui dolum parare“ Catil. 28., Virgilius
„dolos versare“ Aen. II, 62., Plautus „dolos consuere“ Amph. I, 4, 211.,
Livius denique „dolum nectere“ I, 5. extr. XXVII, 28. Cf. Lexica.

Sed haec de minus usitatis praedicatis hactenus: pergam de particulis, in
quibus nimirum minus, quam in notione rerum earumque praedicatis urbanum
morem Livius curavisse videtur, ut hae parvae et abjectae formae et ipsae
non leve pondus toti nostrae quaestioni addere videantur. Pro argumento
postmodum et *neutique* particulas Livianas pono. Illa, quae significat „in der
Folge“, „späterhin“, codicum auctoritate non ambigua confirmatur I, 9, 45.
II, 4, 9. II, 2, 40. II, 9, 7., alibi legitur „postmodo“: haec pro „neutiquam“
„nicht eben“ in vulgi ore servata, rursus restituta est a Livio IV, 27, 40.
„neutique vulgatae laudis“, et XXX, 44, 2. „Syphax neutique quieturus“. Cf.
Handii Tursellinus, Vol. IV, p. 509, 540. et p. 183. *Quandoque* significat
„quandoquidem“, „quoniam“ ap. Liv. VIII, 7. „quandoque tu, T. Manli, adversus
edictum nostrum in hostem pugnasti“ et IX, 40. „quandoque hisce homines
foedus ictum iri sponderunt“. *Haudum* „wirklich noch nicht“ vel „noch
gar nicht“ apud Liv. XXII, 42, 6. „constantiam haudum expertus“, et
saepius legitur: alii et Cicero „nondum“ usurpant. Cf. Handii Turs. Vol.
III. p. 40. „*Haud ita* multo post“ invenitur ap. Livium I, 34., pro quo apud Ciceronem
„non ita“ legitur. Cf. Weissenborn. ad h. l. et Horat. Tursell. ed. Hand. Vol.

III, p. 23. „In id“ et „in haec“ „dazu“, „deswegen“, „ideo“, pro quo ap. alios, velut ap. Ovid. „in hoc“ invenio, legitur ap. Liv. XXVIII, 47. „in id fide a rege accepta“, XXXIII, 40. „in haec obsides dari“, XXI, 42, 2. „quum dejecta in id sors esset“. Cornelius Nepos similiter adhibet „in“, pro „propter“, sed cum Ablativo junctum Paus. 2. „in quo facto domum revocatus“. Cff. Drakenb. ad Liv. XLIV, 25, 6. et Handii Tursell. Vol. III, p. 349. 320. „Ad id“ (tempus) „bis dahin“, „adhuc“ habet Liv. III, 22. „inde fugientes eques, quum ad id spectator pugnae adstitisset, libero campo adeptus parte victoriae fruitur“, coll. XXI, 52, 6., saepius. Intelligi „tempus“ ii loci demonstrant, in quibus additum est hoc nomen, velut ap. Caes. B. civ. III, 79. „haec ad id tempus Caesar ignorabat“. Cf. Handii Tursell. Vol. I, p. 425. „Ad hoc“, pro „eo accesserunt“ scribit Liv. XXX, 34. init., quo loco simul omisso verbo offendimur. Cf. Raschig. ad. h. l. Eadem verba XXXV, 44. „ad hoc neminem elegantius loca cepisse“ explicantur sic, ut sint „praeterea“, a Doering. coll. XXI, 52, 40., et ab Handio ad Tursellin. Vol. I, p. 423. „Ad id quod“ autem, pro „praeterquam quod“, Horatius Tursellinus ed. Schwartz. p. 45. rarissimum appellat. Invenitur ap. Liv. III, 62. „ad id quod sua sponte satis collectum animorum erat, indignitate etiam Romani accendebantur“, XXVI, 45. „et ad id quod sua sponte trahebantur aqua, acer etiam Septentrio stagnum ferebat“, et XLIV, 37. „consul ad id quod praetermisisset occasionem videbatur, tunc quoque terere videbatur tempus, cum“ etc. Cf. Handii Tursell. Vol. I, p. 425. „Ad id locorum“ esse „ad id tempus“ Gronovius demonstravit ad Livii XXVII. c. 7. extr. Liv. IX, 45. „nunc, quando verba vana ad id locorum fuerint, rebus standum esse“, XXV, 22. init., 32. init., XXII, 38. extr. Similiter scribit Sallust. „postea loci“, Terent. „interea loci“, Lucret. „inde loci“, Plaut. „post id locorum“. Cff. Raschig. ad Livii XXII, 38. et Handii Tursellin. Vol. I, p. 425. „Cum eo“ exprimit „ita tamen“, „hac simul addita re et conditione“ ap. Liv. VIII, 44. „Lanuvinis civitas data sacraque sua reddita cum eo, ut aedes lucusque communis esset“, XXX, 40. extr. XXXVI, 5. Cf. Handii Tursell. Vol. II, p. 466. „Ad locum“ est pro „illico“, „zur Stelle“ ap. Liv. XXVII, 27, 2., „signum dedit, ut ad locum miles esset paratus“. Plautus simili modo habet „e loco“, Epid. I, 2, 44. „nam ni ante Solem occasum hoc argentum e loco“ (alii eloces), ed. Gronov., et Truculent. II, 4, 89. „jam modo ex hoc loco Jubebo ad istam quinque perferri minas“. Cff. Raschig. ad Liv. I. I. et Handii Tursellin. Vol. I, p. 429. Vol. II, p. 364. *Propemodo* pro „prope“, „ferme“ legitur ap. Liv. XXIV, 20, 44.

„quam propemodo muris successisset“. Cff. Kreizneri Progr. p. 12. et Handii Tursellin. Vol. IV, p. 607.

Firmari igitur vidimus particularum insolentiam auctoritate virorum doctissimorum. Quos tamen non omnes, ut de singulari usu, sic etiam de fonte, ex quo Livius haec singularia hauserit, nimirum a Patavinis, mecum consentire video: quamquam aliquem usum in dicendo sequatur necesse est, qui sic dicere velit, ut intelligatur. Quos viros, ut magis magisque mihi conciliem, ad nova vocabula, quibus urbani non utebantur, Livius utebatur, traducam, quorum natura ea est, quae sive novam terminationem, sive novam compositionem ostendat. De qua insolentia alio tempore exponam, si Deus vitam suppeditaverit.

Restat, ut indicamus solemnia sacra Amplissimae Matronae Christianae Ludovicae de Gersdorf, natae ab Hohberg, et Viro Amplissimo Carolo Gehlero, beneficentia de nostro gymnasio meritissimis, quorum memoriam die festo, qui dies est XV. Novembris, pie celebraturi sumus hac ratione:

ut primum ipse exponam sermone patrio *de Alpium transitu ab Hannibale parato*, deinde duo juvenes, beneficium Gersdorfiani participes prodeant,

Bernhardus Guntherus Clotarius Curtius de Wurmb, civis secundae classis, *Fridericum Magnum, Borussiae regem, auctore Schubarto poeta*, germanica lingua celebraturus, et

Gero Wolfius Erdmannus Franciscus de Gersdorf, tertiae classis discipulus, *gaudia, quibus in contemplanda natura compleamur*, sermone patrio dicturus.

Ad quas orationes audiendas gymnasii patronos civitatisque antistites, ecclesiarum et scholarum ministros, omnesque rei scholasticae fautores qua decet reverentia invitamus.

P. P. die X. Novembris MDCCCLIV.

TIFFEN® Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007

- A 1
- 2
- 3
- 4
- 5
- 6
- 7
- 8
- 9
- 10
- 11
- 12
- 13
- 14
- 15
- 16
- 17
- 18
- 19

R G B W G K C Y M



F. V. die Z. Novem
diesi raverella mltima.
ecclesiam et schofiam in
Ad que oratione sub
distur.
discipulos quibus quibus in
Gato Wallius Libm
pella rermanis hanc est
scandae classis. Vltima
Bernardus Guald
dus parlo, deinde duo ju
ut primum ipse expon
hae ratione:
memoria die keto, qui
rilo Gehler, de
Euhovius de Gershor
hatal ut indicatus so